





43  
1789, 20.  
3

# PROCANCELLARIUS IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS

I. V. D

CATHEDRALIS ECCLESIAE NVMBVRGENSIS CA-  
NONICVS PANDECT. PROF. ORD. ET  
COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

## SOLLEMNIA IN AVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

IOANNIS OTTONIS LVTTERLOH  
HAMBVRGENSIS

CALENDIS OCTOBR. MDCCCLXXXIX

PVLICE CELEBRANDA

INDICIT

БІБЛІОГРАФІЯ  
АМЕРИКИ ІНДІАНІВ

І. В. І.

САЛІВАН ГЕНІЛІС ФЕДЕРІК  
МІЧІСКА ПАМІЛІС СІМІ  
СІМІСКА МІЧІСКА

БІБЛІОГРАФІЯ АМЕРІКАНІВ

І. В. І.  
САЛІВАН ГЕНІЛІС ФЕДЕРІК  
МІЧІСКА ПАМІЛІС СІМІ  
СІМІСКА МІЧІСКА

САЛІВАН ГЕНІЛІС ФЕДЕРІК  
МІЧІСКА ПАМІЛІС СІМІ  
СІМІСКА МІЧІСКА

І. В. І.

# MISCELLANEORVM

## AD IVS PERTINENTIVM

### SPECIMEN VIII.

#### CAPVT XIX.

*De utilitate e lectione scriptorum M. Tullii Cic. praecepitque orationis  
num Tullianarum in disciplina iuris criminalis capienda.*

**M**agnopere interdum se torquent vnguesque rodunt miseris  
nonnulli cauilarum patroni, si quando defensio pro reo aliquo ab ipsis scribenda est, et raro tamen aliquid, operae quod pretium sit legique mereatur, extricant. Alii enim, quasi de salute  
Graeciae agatur, rem altius repetunt, multaque a causa, quae in discep-  
tationem venit, aliena admiscent. Alii silovtuntur fere poetico,  
remque multis exornant flosculis, e fabulis romauenibus petitis, ce-  
terum cardinem rei vix tandem attingunt, satisque existimant, mul-  
ta scripsisse, quam multum.

Ecquae autem, inquis, huius rei est causa? Nihil iam de mul-  
torum inscientia dicatur imperitaque disciplinae criminalis, quippe  
quam, veluti rem ad se haud pertinenteam, data opera negligunt et  
vix dignam, cui vel pauculas impendant horas, existimant. Est  
enim aliud praeterea in causa, quare defensiones vel mediocriter scrip-  
tas in commentariis judicialibus, quos *acta vulgo* vocant, tam raro  
obueniant.

Pouissimi scilicet coram, qui his in rebus versantur, exempla  
sibi proponunt optima, sed plerique potius caecos sequuntur dictio-  
nes, qui, quod alios docere volunt, ipsi oppido ignorant, haud cogi-  
tantes, turpe esse, profiteri artem, quam ipse totam haud imliberis,  
sed obiter tantum, et aliud quasi agendo, attigeris. Iam cum ful-  
lum

A

tum et absonum sit, ad imitandum non optima quaeque sibi propo-  
nere, nemo, spero, me reprehendet, si iis, qui cum generatim in  
disciplina iuris criminalis versari cum laude volunt, tum sigillatim  
defensorum partes in se suscipere gessint, cum magistrum omnibus  
superiorem, tum exempla, quae lequi possint, optima ante oculos  
ponere instituant.

Et quem quaeſo potius hic nominem, quam M. TVLLIVM  
CICERONEM, <sup>a)</sup> quippe qui non modo summus fuit philosophus,  
sed iuris etiam, si quis alius, scientissimus, quod quidem vel ipsa  
eius scripta, auro contra cara, abunde testantur. Evidem scio,  
CORN. VAN BYNKERSHOEK magna id olim egisse opera, ut TVLLIVM  
ideo, quod de iure haud responderit, e numero Ictorum expungeneret.  
Sed iam alii <sup>b)</sup> docuerunt, laterem hic lausafe BYNKERSHOEKIVM,  
propterea quod nequam ita licet argumentari: Quisquis de iure haud  
respondet, ille non est iactus. Et quis quaeſi iure dubitet, quin is, qui  
non modo a puero iuri operam dederit, sed maximos etiam in rep-  
ggererit magistratus, qui praeterea multa atque praeclara de iure  
litteris configurari, in cuius denique scriptis ubique insignis conspicua-  
rit iuris scientia, Ictorum in numerum summo suo merito refe-  
ratur?

Iam, ad prius quod attinet, ipse CIC. in Bruto cap. 89 *Ego,*  
ait, iuris ciuilis studio, multum operae dabam Q. Scaevolae, P. F. qui  
quoniam nemini se ad docendum dabat, tamen consilientibus responsi-  
endo studijs audiendi docebat, et apud eundem de Leg. lib. i. cap.  
4. ATTICVS noſtrum his verbiſ affatur: *Nam a primo tempore aetatis  
iuri studere te memini, cum ipſe etiam ad Scaevolan ventitarem; neque  
enquam mihi viſus es ita te ad dicendum dediſe, ut ius ciuale conſem-  
neres.*

- a) De utilitate lectionis auctorum classicorum in iure ciuili generatim quondam dixit F. PLATNER in praef. I. F. GRONOVI Obs. Lips. 1755. edit. praemissa, M. TVLLII CIC. Rhetoricam s. Institutiones artis eloquentiae forensis dedit IOS. GREISSING, Norhab. 1782.
- b) Vid. ANT. SCHVLTINGII Or. de iurisprudentia Ciceronis, in eius Commentarij academ. cura Cel VHLII editijs, Vol. II. p. 71. H. BROCKES de Cicerone, iuris ciuilis reſte ac interprete, diff. III. Vir. 1738-1741, et H. C. CRASSII Specimen iurisprudentiae Ciceroniae, s. Ciceronem instam pro Caecina causam dixisse, L. B. 1769.

*nieres.* Deinde neminem latet, **TULLIVM** non modo Quaestorem, Aedilem, Praetorem, Consulem et Augurem, sed Ciliciae etiam Proconsulem immortaliter de rep. meritum esse; et quis quaeſo persuaderi ſibi patietur, tot tantaque munera geri a viro iuris non niſi medocriter perito bene feliciterque potuisse?

Quemadmodum porro **CICERON** librum singularem *de iure ciuili in ordinem redigendo* ſcripſiſſe apud **GELLIVM lib. I. cap. 22.** relatum legimus, ita libri Tulliani de *Legibus* tres etiamnum ſuperftites nullum plane de maxima Ciceronis iurisscientia dubitandi locum relinquunt, adeo ut **I. A. BACHIVS** in *hiſt. iurispr. rom.* p. 248. recte omnibus ius rom. cum laude percipere cupientibus diligenter librorum Tullianorum lectionem vel ideo commendarit, quod in aliis veteribus auctoiribus omnibus tot tantaeque veteris iuris reliquiae, vel potius copiae, quanta in hoc vno, haud reperiantur.

Neque vero ab iis tantum, qui iuri operam nauant, legendus est **CICERO**, ſed illi etiam, qui artes regnandi et remp. adminiftrandi diſcere volent, eas nullo ex fonte ſucierius, quam ex **TULLIVS** ſcriptis, haurient. Quis enim melius Principes et ciuitatum gubernatores, quid eos facere oporteat, docuit, quam **TULLIVS**? Quid reip. ſalutarius dici potest aureo illo pracepto, quod legitur in **CIC. ep. I.** ad Quint. Fratr. Ac mihi quidem videntur *huc omnia eſſe referenda* *in*, qui praſunt alii, ut *ii.* qui erant eorum in imperio, ſint quam beatiffimi; quod deinde non modo repetit **MM. MARCELLINVS** **xxix. 2.** *Imperium*, ſcribens, *nihil aliud eſt, niſi cura ſalutis alienae*, ſed repetierunt etiam recentiores, qui de rep. bene adminiftranda ſcripſerunt, ſaepius. Eodem pertinet, quod **CICERO** ad *Alt. VIII.* n. ait: *Vi gubernatori carſus ſecundus, medico ſalus; imperatori victoria, ſic moderatori ſeip. beata ciuium vita proposita eſt, ut opibus firma, ropiis locuples, gloria ampla, virtute honesta ſit.* Huius enim operis, maximuſ inter homines atque optimi, illum eſſe perfidorem volo. Neque ita eſt mirum, inter Principes et Imp. etiam fuſſe, qui a **CICERO** proficere cuparent, eiusque libris legendis minimum quantum delectarentur. Sic, ut vno tantum utar exemplo, de **ALEX. SEVERO LAMPRIDIVS** ſcribit in *vita eius cap. 29.* *Poſt* *actus publicos, ſeu bellicos ſeu ciuiles, lectioni graecas operam maiorem* dabant, de republica libros *Platonis leges.* *Latino cum legeret, non alia magis legebat, quam de officiis Ciceronis et de republica;* iureque ac

merito nominis immortalitatem **TULLIO** auguratus est **VELLEI**.  
**PATERCVLVS II.** 66, ubi in **ANTONIVM** hisce inuehitur verbis:  
*Omnis posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum ex-  
 secrabitur, citiusque in mundo genus hominum, quam huius nomen,  
 cedet.*

Sed vt iam in viam, vnde paululum defleximus, redeamus, su-  
 perest, exempla nonnulla, quibus sigillatim de utilitate lectionis  
 scriptorum Tullianorum in disciplina iuris criminalis constare possit,  
 in medium proferamus. Ac primo quidem **CICERONE**, magi-  
 stratus personam sustinentem, in scenam producere lubet.

Quocunque in iudicio capit<sup>is</sup> iudicem questionis duo maxime  
 agere oportet, scilicet, vt a) veritatem s. certitudinem criminis, de  
 quo quaeritur, (*corpus delicti* vulgo vocant) eruat, b) auctorem de-  
 dicti inuestiget, vtque de eo satis constet, operam det. Vtiusque rei  
 exemplum clarissimum praebent **CICERO** orationes *Catilinariae*,  
 et praeципue *Or. III. c. 2. et 5.* Postquam scilicet **CATILINA** urbe  
 exceperat, **LENTVLVS**, (cum maxime praetor) Catilinariae coniura-  
 tionis particeps, qui Romae permanferat, omnem mouebat lapidem,  
 vt Allobrogum ciuitates (gentem maxime bellicosam) in coniurationem  
 pertraheret, earumque legatos, qui Romae tunc commorabantur,  
 sibi conciliaret. Legati autem, quidquid inaudierant, **CICERO**  
 patesciant, eiusque consilio simulant, se fauere coniurationi, et  
 litteras a sociis viaeque ducem, **VVLTVRCIVM** quandam, ad **CATILINAM** accipiunt. Iam cardo rei in eo vertebatur, vt haec ipsae  
 litterae interciperentur, itaque socii coniurationis principes manifesta-  
 rentur. Hoc quomodo egit, qui consulatunc fungebatur, **CICERO**?  
 Malo fane, quidquid huius rei est, vobis, L. B. ipsius **TULLI**,  
 quam meis verbis exponere. Itaque, inquit *I. c. cap. 2.* hesterno die  
**L. FLACCVM** et **C. SONTINVM**, praetores, fortissimos atque  
 amantissimos reip. viros, ad me vocauit: rem omnes in exposui: quid  
 fieri placeret, ostendit. Illi autem, qui omnia de rep. praeclara  
 atque egregia tentirent, sine reculacione ac sine villa mora negotiorum  
 fulceperunt, et, cum aduerserat, occulte ad pontem Muluium  
 peruenerunt, atque ibi in proximis villis ita bipartiti fuerunt, ut Tibे-  
 ris inter eos et pons interesset. Eodem autem et ipsi sine cuiusquam  
 suspicione multos fortes viros eduxerunt, et ego ex praefectura Rea-  
 tina complures delectos adolescentes, quorum opera vtor assidue in  
 reip.

reip, praesidio, cum gladiis miseram. Interim tertia sere vigilia ex-  
acta, cum iam pontem Mulcium magno comitatu legati Allobro-  
gum ingredi inciperent, vnaque **V V L T V R C I V S**, fit in eos impe-  
tus: educuntur et ab illis gladii, et a nostris: res erat praetoribus  
nota solis, ignorabatur a ceteris. Tum interuentu Pontini atque  
Flacci pugna, quae erat commissa, sedatur: litterae, quaecunque  
erant in eo comitatu, integris signis praetoribus traduntur: ipsi com-  
prehensi ad me, cum iam dilucesceret, deducuntur.„

Iam videamus, quomodo examen reorum, aequa ac testium,  
instituerit **CICERO**. Introduxi, ait, **V V L T V R C I V M** sine Gallis:  
fidem ei publicam iussu senatus dedi: hortatus sum, ut ea, quae sci-  
ret, sine timore indicaret. Tum ille, cum vix feex magno timore  
recepisset, dixit: a **P. L E N T V L O** se habere ad **C A T I L I N A M** man-  
data et litteras, ut sertorum praesidio teretur, et ad urbem quamprimum  
cum exercitu accederet. Introduci Galli iusurandum sibi et  
litteras a **P. L E N T V L O**, **C E T H E G O**, **S T A T I L I O** ad suam gentem  
datas esse dixerunt, atque ita sibi ab his et a **L. C A S S I O** esse praes-  
criptum, ut equitatum in Italiam quamprimum mitterent, pede-  
stres sibi copias non defuturas. — Ac, ne longum sit, tabellas pro-  
ferri iussimus, quae a quoque dicebantur datae. Primum ostendi-  
mus **C E T H E G O** signum, cognoui. — Tum **C E T H E G U S**, qui paulo  
ante aliquid de gladiis ac siccis, quae apud ipsum erant deprehensa,  
respondisset dixissetque, se semper bonorum ferramentorum studio-  
sum fuisse, recitatis litteris debilitatus atque abiectus, conscientia con-  
victus, repente conticuit. Introdactus **S T A T I L I U S** cognoui ma-  
num et signum suum: recitatae sunt tabellae in eandem sere senten-  
tiā: confessus est. Tum ostendi tabellas **L E N T V L O**, et quæsiui,  
cognosceretne signum: annuit. Est vero, inquam, signum quidem  
notum, imago auti tui, clarissimi viri, qui annuit vnice patriam et  
cives suos: quae quidem te a tanto scelere etiam muta revocare de-  
buit. Leguntur eadē ratione ad senatum Allobrogum populumque  
literae. Si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque  
ille primo quidem negauit: post autem aliquanto, toto iam indicio  
exposito atque edito, surrexit: quæsiuit a Gallis, quid sibi esset cum  
iis, quamobrem domum suam venissent; itemque a **V V L T V R C I O**.  
Qui cum illi breuiter constanterque respondissent, per quem ad eum  
quotiesque venissent, quæsiissentque ab eo, nihilne fecum esset de fa-  
tis

tis Sibyllinis locutus, tum ille subito scelere demens, quanta conscientiae vis esset, ostendit. Nam cum id posset inficiari, repente praeter omnium opinionem confessus est: ita eum non modo ingenium illud, et dicendi exercitatio, qua semper valuit, sed etiam, propter vim sceleris manifesti atque deprehensi, impudentia, qua superabat omnes, improbitasque defecit. — GABINIUS deinde introdulcus, cum primo impudenter respondere coepisset, ad extre-  
mum nihil ex iis, quae Galli insimulabant, negavit. Ac mihi qui-  
dem cum illa certissima sunt vila argumenta atque indicia sceleris, ta-  
bellae, signa, manus, deinde vniuersiusque confessio, tum multo  
illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupe-  
rant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se aspicie-  
bant, vt non iam ab aliis indicari, sed indicare se ipsis vidirentur.

Eccui his in mentem haud veniat, quod Galli dicere solent:  
Haec omnia ita, vt apud nos fieri adsolet, comparata sunt (*c'est tout comme chez nous*)? Vidimus enim primo inuestigationem certitudi-  
nis, mox etiam auctoris delicti et sociorum, deinde examen et reor-  
um et testium, idque praemissa seria adhortatione de laud reticenda  
veritate, nec non reorum compositionem (confrontationem vulgo vo-  
cant) cum inter se, tum cum testibus, confessionem item, summo  
studio, arte summa a reis elicita. Quam vellem, nostri hodie iu-  
dices tanta, quantam hic videmus, accuratio omnia per sicerent,  
quorum multi, neglecta forma *Mandato d. 30. April. 1783.* proposito  
praescripta, ne reos quidem ante examen veritatis dicendae causa recte  
adhortantur, suaque culpa, vt sententia, quae dici solet, interlocu-  
toria opus sit, efficiunt.

Quisnam autem eius rei exitus fuit? Conuidis scilicet  
reis duae diuersae erant sententiae, altera SILANI, Cos. de-  
signati, qui capitis poenam decernebat, altera C. CAESARIS, qui  
mortis poenam removens ceterorum suppliciorum acerbitates omnes,  
inprimiti vincula sempiterna, amplectebatur. CICERO Senatum ad  
seueritatem cohortabatur, sententiamque SILANI seueriorem leniori  
CAESARIS preferendam esse docebat, quam cum deinde CATO  
etiam secutus esset, in SILANI et CATONIS sententiam Scutum  
sacrum, atque in carcere supplicium de coniuratis sumum est; quo  
facto vniuersus Senatus et Populus CICERONEM domum pergentem  
prosecutus eum non modo conservatorem et liberatorem, sed pri-  
mum

inum etiam patrem patriae appellauit. Nihilo tamen minus (quae rerum humanarum inconstans est) postea Nonae illae, quibus haec peracta erant, CICERONI infeliciissime cesserunt. Cum enim contra CLODIVM, pollutorum sacrorum reum, testimonium dixisset, ita illum in se exacerbat, ut tribunus Pl. factus haud quiesceret, nisi TULLIO in exilium electo, hanc speciosam causam apud Populum praetexens iniquitati sua, quod CICERO Consul ciues Romanos, Catilinariae coniurationis participes, indemnatos interfecisset. Et quo facilius, quod cupiebat, obtineret CLODIVS, illius anni confules, GABINIVM et PISONEM, spe pinguiorum prouinciarum compulit, ut CICERONEM, optime de patria meritum, exterminari patarentur. e) Postero autem anno, cum T. ANNIVS MILO et P. SEXTIVS, tribuni Pl. et P. LENTULVS consul vrgerent, POMPEIO fauente, Senatu approbante, cunctaque Italia suffragium ferente, ab exilio in patriam pristinamque ad dignitatem revocatus est. Sed haec obiter.

Neque vero CICERO magistratus tantum personam maxima cum laude sustinuit, sed in defendendis etiam reis adeo omnibus palnam praeripuit, vt nullum sui parem, nedum superiorem, haberet. Nihil iam dico de CICERONIS PRO ARCHIA et QVINCTIO Orationibus, et si ipsae etiam pulcherrimae sunt. Recele enim, si quid video, iudicat *Auctor Dialog. de Orator.* cap. 37. Nec Ciceronem magnum oratorem P. Quintius defensus, aut L. Archius faciunt: Catilina et Milo, et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt. Nec multus hic ero in laudanda nobilissima illa pro T. ANNO MILONE oratione, quippe de qua iam alibi uberiorius expofui. Non possum tamen tacere, quod de ea scribit LEYSERVUS Spec. 600. med. 46. Or. Ciceronis pro Milone perfelissimum est defensionis ex capite inculpatae tutelae exemplum. Si cui aducato defensio rei de homicidio acutus, ac moderamente inculpatae tutelae obtendentis, contingit, hunc ego, ut Ciceronis Or. pro Mil. legat, et argumenta, quibus Cicero vitatur, suam in orationem scriptumue apte transferat, auctor sum. Nihil in hoc genere exstat melius. Quid, quod adeo haec TULLII placuit oratio

e) Conf. MORARIN *Histoire de l'exil de Ciceron*, à Paris 1726, et FRANC. FABRICH hisp. M. Tullii Cic. (Budingae 1727.) p. 125.

oratio, ut a multis princeps et inter omnes orationes Tullianas optima censeretur. Ex veteribus primas ei partes dedisse videtur QUINTILLIANVS *Inſt. Or.* IV. 2. *Nisi forte M. Tullius in oratione pulcherrima, quam pro Milone scriptam reliquit, mali distillat̄ orationem videtur tribus praepositis quaſionibus, nec non XI. 3. Proponamus nobis illud Ciceronis in oratione nobilissima pro Milone principium; nonne ad singulos pene diſtinctions, quamvis in eadem facie, tamen quaſi vultus mutandus eſt? Nec alterus A. S. C. PEDIANVS in *arg. Or. Cic.* pro Mil. Cicero cum inciperet dicere, exceptus eſt acclamatione Clodianorum, qui ſe continuere ne metu quidem circumſtantum militum poſuerunt. Itaque non ea, qua ſolitus erat, conſtantia dixit. Maet autem illa quoque excepta eius oratio. Scripta vero hanc, quam legimus, ita perfeclē, ut iure prima haberi poſſit. d) Ex recentioribus idem ſentiantur ANDR. SCHOTTVS in nodis *Cic.* III. 13. Miloniana Tullii, eſi longa ea oratio, ut quidem a Cic. conſcripta eſt, quae habito longe brevior, iure tamen prima omnium, autore Pediano, cendenda, nec non IUST. LIPSIUS in *Var. Leſt. Lib. II. cap. 7.* (in Operibus, quae Antwerp. 1637 prod. p. 32.). Ut inter Cic. orationes Miloniana illa nihil melius eſt poſſit aut diuinius, ſic inter libros et scripta nihil hoc uno (qui inſcribitur *Orator ad Brutum*) meo iudicio cogitari potest accuratius aut perfectius, et C. A. HEVMANNVS in *pref. Or. Cic.* pro Mil. ab ipſo editas praemissa.*

Sed nec defunt, qui Cluentianam omnium Tullianarum orationum principem arbitrentur. Ita ſane ſenſit SIDON. APOLLINAR. *Ep. VIIII. 10.* Tullius in additionibus ceteris ceteros, pro Auto Cluentio ipſe ſe vicit. Eandem extollit A. M. MARCELLINVS XXX. 4. Tandem ex praemeditato colludio, per eum, qui eſt in verbo ſidentior, ſauus quoddam principium dicendi exferitur, Cluentianae vel pro Ctesiphonte orationum aenula ornamenta promittens, et ipſe QUINTIL. IIII 1. et VI. 5.

Alii

d) C. A. HEVMANN in *pref. Or. Cic.* pro Mil. ab ipſo edit. §. II. huic etiam refert illud PLINII *Ep. I. 20.* In primis M. Tullium, cuius oratio optima fertur eſt, quae maxima. Cum autem Philippi ea ſecunda Miloniana omnino longior sit, redivius fortaleſe quis illa PLINII verba ad Philippicam II. reſulerit.

Alii denique *Philippicae secundae* primum adsignant locum,  
quod quidem palam profitetur *IUVENALIS X. 125.*

— *Conspicua diuina Philippica famae,*

*Volveris a prima quae proxima.* —

Atque huic quidem ipse etiam subscribere nullus dubito. Siue enim argumentum, in quo versatur, grauissimam, siue artes orationis in ea conspicuas considerem, nihil mihi eo in genere excellenter, nihil praestantius vñquam scriptum esse videtur. Optarem tamen, abstinuisse *TULLIUS* a flosculis nonnullis, ultima, vt videtur, e causa petitis, auresque nonnihil offendentibus, quo in primis refero, quod scribit *cap. 25. no. 63.* Fortasse autem *CICERO* verbis temperasset, si hanc orationem reapse habuisset, quam quidem plerique ab eo non dictant, sed scriptam tantum fuisse arbitrantur. Vid. i. *A. ERNESTI Arg. eiusd. Or. p. 1464.* nec non *I. M. HEVSINGER p. 404. edit. nonnullar. Cic. Or. Iseu p. 1749.* ab eo curatae, et i. *H. L. MEIEROTTO in vita M. T. Ciceronis p. 615.* Sed nec ipsa Miloniana ita, vt hodie superest, a *TULLIO* habita fuit, quod praeter aliquo tempore *ASC. PEDIANVS* loco supra iam prolatu, itemque *DIOG. CASSIVS Lib. 40. p. 256. edit.* quae cura *H. S. REIMARI Hamburgi 1750.* prod. Taceo iam, nimis artis aduocatoriae eadem in oratione latere, eiusque auctorem multe commentitia, eo consilio, vt scenae seruiret, protulisse. Sed fecit hoc etiam naliis in causis, vt non modo ipse de *Or. II. 7.* et pro *Cluent.* *cap. 50.* palam proficitur, sed *PLUTARCHVS* etiam *Tom. I. pag. 873.* refert his verbis: *Cum Numati aliquando causam egisset Cicero, irque indicum sententiis absolutus postea Tullii familiarem, Sabinum, accusaret, ita hic excanduisse dicitar, ut in ista verba eruperit: Tu scilicet, Numati, illo te crimen tua opera tuaque liberassem innocentia, non, quod ego multam caliginem tribunalis offuderim lumini.* Equis autem magius vñquam exsilit orator, qui non interdum falsa dicere, fucumque faceret auditoribus suis?

Veniamus nunc ad *Or. CICERONIS Caesarianas*, <sup>e)</sup> quo nomine veniunt *Or. pro Marcello, pro Ligario et pro Rege Deiotaro,*

B 2

idque

<sup>e)</sup> Nihil iam dico de *Orat. Cic. Verrini*, quas cum scholiis *ASCONII* suisque adnotationibus edidit *Ill. I. C. HARLESIVS Erlang. 1784.*

idque, ni fallor, ideo, quod ad c. CAESAREM, quo etiam praesente dictas fuerunt, maxime pertinet. Inter has imprimis eminet Ligariana, cum ob argumenti dignitatem, tam propter maximam eloquentiae vim, qua etiam CAESAR, et si LIGARIO haud ignoscere apud se constituerat, tantopere communiora fuit, ut CICERONEM audiens chartas, quas in manibus tenebat, excidere pateretur. En verba PLUTARCHI in vit. Cic. p. 483. edit. Londini 1723. typis excus. Perhibent, cum accusaretur Ligarius, quod hostis Caesaris fuisset, defendente reum Cicerone, dixisse ad amicos Caesarem: Quid obstat, quin Ciceronem tanto interuallo audiamus dicentem, quando ipsum qui-deni iam dudum constat improbum hominem et hostem nostrum esse? Postea vero quam Cicero dicere orsus mirifice eum mouit, variisque affectibus et mira gratia eius progressa est oratio, colorem identiter Caesaris faciem variasse, perspicuumque fuisse omnibus, eum animi motibus versatum. Denique ubi pugnam Pharsalicam orator attigit, fuisse usque adeo permotum, ut toto corpore tremuerit, ac libelli aliquot, quos tenet in manus, ei exciderint. Ligarium igitur expugnatus criminis absoluit. Idcirco haud dubito omnibus, qui simili in causa defensionem scribere volent, hanc ipsam orationem, tanquam perfectissimum, imitari quod possint, exemplar proponere.

Idem fere dicendum de Or. pro Rege Deiotaro, cuius summa eo redit. DEIOTARVS, totius fere Gallograeciae s. Galatiae in Asia tetrarcha, a Senatu Rom. rex Armeniae minoris et socius appellatus, accusabatur, quasi quodam die CAESAREM in balneum euntem insidiis collocatis occidere cogitasset. Iam c i e. defensione eius suscepta in eo maxime laborabat, ut certitudinem corporis delicti, quemadmodum hodie loqui amant, deficere, s. crimen confiditum esse ostenderet, eamque ob causam accusationem refellit a) ab immunitate raeti criminis, quod in DEIOTARVM cadere non queat, b) ab incredibili ratione, qua crimen confingebatur, c) a certissimis argumentis, quibus accusatores falsi arguerentur. Egregia profecto oratio! quam si quis simili in argumento ad imitandum sibi proposuerit, nse plus ei suppetiarum feret, quam centum formularum in libris vulgaribus perscriptarum exempla.

Ceterum velim, omnes, qui aliorum defensionem suscipiunt, CICEROIS etiam exemplo sapere discant seduloque caueant, ne, dum alios defendant, liberius forte, quam par est, scribendo, aut crimen

erimen in alios transferendo, sibi ipsi infortunium contrabant. Quid enim magis in causa fuit, quare tam infelicem vitae exitum habuerit CICERO, quam orationes illae Philippicas, quibus ANTONIVM adeo exacerbavit, ut hic odium contra illum conciperet maximum et indebole, quod ne morte quidem CICERONIS extinctum fuit. Relatum enim, inquit SENECA Suas. VII. caput ad ANTONIVM, iussu que eius inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno aduerfus ANTONIVM, quanta nulla vnguam humana vox, cum admiratione eloquentiae auditus fuerat. Nec cessavit ANTONII vxor, FULVIA, (quam CIC. in Phil. II. cap. 5. et 44. false perstrinxerat,) sed TULLI caput in manus sumvit, consputumque genibus imposuit, linguam autem ex ore extractam acubus, quibus ad capitum ornatum vtebatur, compunxit, additis multis iisque execranda opprobriis. <sup>f)</sup> En, quo muliebre odium, quo muliebris procedat facutia!

Nihil iam superest, nisi vt egregia nonnulla CICERONIS effata atque praecepta, ad causas criminum pertinentia, et non modo iudicibus et caesarum patronis, sed ipsis etiam legumlatoribus profutura, cum lectoribus nostris communicemus.

Ac primum quidem iudices, testes rogatuos, optime instruit TULLIUS in Or. pro Flacco nō 12. itemque in Or. pro Fontio cap. 6. et 7. ubi inter alia his vitur verbis: *Fuit illis iudicibus diuinum ac singulare consilium, qui se non solum de reo, sed etiam de accusatore, de tesi *iudicare arbitrabantur, quid scilicet, quid a fortuna et tempore allatum, quid pretio corruptum, quid spe aut metu depravatum, quid a cupiditate aliqua, aut inimicitia profectum videretur.* Quas si iudex non amplectetur omnia consilio, non animo ac mente circumspicit; si, ut quidque ex illo loco dicetur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur, profecto fatis erit, non surdum iudicem huic muneri atque officio praeesse. Ad eosdem (iudices) pertinet egregius ille locus in Or. pro Clentio cap. 2. *Avobis, antequam de ipsa causa dicere incipio, haec postulo: primum id, quod aequissimum est, ut ne quid huc praeiudicati afferatis.* Etenim non modo auctoritatem, sed etiam nomen iudicium amittere, nisi hic ex ipsis causis iudicabimus, ac si ad causas iudicia iam facta domo deferemus. Deinde, si quam opinionem iam vestris*

f) Vid DIO CAS. Lib. XLVII, p. 226, edit. Reimari.

mentibus comprehendit, si eam ratio conuellet, si oratio labefaciat, si denique veritas extorquebit, ne repugnetis eamque animis vestris aut libertatis aequis remittatis.

Vetus dictum est, (quod ipsum tamen in foro saepe negligitur) neminem sua in causa testem esse idoneum. 2) Quam pulchre hoc exprimit TULLIVS in *Or. pro Ros. Amer. cap. 36.* Ita more maiorum comparatus est, ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicent. *Africanus*, qui suo cognomino declarat, tertiam partem orbis terrarum se subegisse, tamen, si sua res ageretur, testimonium non dicere.

Quotiescumque de auctore criminis cuiusdam quaeritur, iudicem diligenter oportet exquirere, ecquis praे alis emolumentum inde sperare potuerit, propterea quod nemo facile sine causa malus est crimenque contrahit. Id ipsum dilucide monet CICERO in *Or. pro Ros. Amer. cap. 30.* *L. Cossius ille*, quem populus Romanus verissimum et sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quererere solebat, cui bono fuisse. Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere; cui tamen iungendum, quod idem scribit pro *Mil. cap. 12.* Boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepe parvo.

Nullibi miseri viui, quam iis locis, ubi impune licet peccare sceleraque manent impunita, tam perulgatum est, vt neminem facile fugiat. Causam si queraris, quis melius dabit TULLIO, itidem pro *Mil. cap. 16.* Maxima illecebra peccandi impunitatis est spes, quod etiam repetit in *Verr. III. cap. 76.* O consuetudo peccandi! quantam habet incunditatem in improbris et audacibus, cum poena absuit, et licentia consecuta est? Quapropter omnes cauere oportet iudices, ne coniuvendo et facinorosis indulgendo nouis occasionem praebeant delictis, que de re late dixi in *dis. de crimine coniuentiae*, quae legitur in *Opusc. iur. crim. n. 3.*

Causarum patronis equidem haud facile commendauerim illud CICERONIS pro *Ligar. cap. 10.* Ad indices sic agi solet: Non fecit, non

g) Nullus idonus testis in re sua intelligitur, inquit POMPONIUS in *l. 10. D. de test.* Contraria ex parte bene CIC. pro *P. Quintio cap. 24.* Opinor, tuum testimonium, quod in aliena re luce est, id in tua, quoniam contra te est, gravissimum debet esse.

*non cogitauit, falsi testes, fictum crimen; utpote quod plerique non modo a se ipsi nauicte sciunt, sed, quoties datur occasio, in usum etiam deducere solent. Neque vero in scriptis Tullianis alia defuncta atque praecelta, quibus uti caularum patroni, defensoris personam sustinentes, possint. Ita e. g. saepius a reis opponitur exceptio absentiae, (la preuve de l' alibi Galli dicunt.) qua probata non possunt non omnia indicia, quibus reus premebatur, prorsus evanescere. Elegans autem huius rei exemplum praebet Or. Tulliana pro P. Quintilio cap. 18. Ais, esse vadimonium desertum. Quae si uita te statim, ut Romanum rediit, Quintilius, quo die vadimonium istuc factum esse dices: respondisti statim nonis Febr. Discedens in memoriam rediit Quintilius, quo die Roma in Galliam profectus fit: ad ephemericem revertitur: inuenitur dies profectionis pridie Kal. Februarii, et cap. 28. Dicis, cum desertum esse dicat vadimonium, omnino vadimonium nullum fuisse: quo die hunc sibi promississe dicat, eo die ne Romae quidem eum fuisse.*

Haud raro etiam ad elidenda indicia defensores uti poterunt pulchro illo loco in *Or. pro Rosc. Amer.* cap. 27. In rusticis moribus, in viatu arido, in hac horrida inculta que vita istiusmodi maleficia gigni non possunt. Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperi possit, sic non omne facinus in omni vita nascitur. In urbe luxurias creantur, ex luxuria exest avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia, inde omnia scelerata maleficia gignuntur. Vita autem rustica pars moniarum, diligentiae, institiae magistrorum est, cui respondet, quod SENECA in *Thyest.* v. 452. ait: Scelerata non intrant casas. Plura, quae hue faciunt, exempla dedi in diss. de lubrico indiciorum (in *Opus. iur. crim.* n. 8.)

Locum interdum quoque inueniet illud c. i. c. pro *Ligar.* cap. 2. Quod si est criminofum, necessitatis crimen est, non voluntatis; nec non illud in *Or. pro Marcello* cap. 3. Iracundia est inimica consilio, itemque hoc in *Miloniana* cap. 7. Perinde quasi exitus serum, non hominum consilia legibus vindicentur.

Nae parvulum, quod prima specie videtur, momentum maximam interdum vim in defendendis reis habere potest. Ita, ut uno falso utr exemplum, nunciauit mihi nuper vir quidam illustris, loco aliquo TULLII, in Elem. meis iur. crim. obvio, cuidam reo viam esse seruatam. Dignitia scilicet iudicij, quod de causa iudicabat,

pars

pars reum ad ultimum condemnabat supplicium, altera autem mitio-rem ab eo poenam sumendam censebat. Diuisis ita sententiis, praefes iudicij in eo erat, ut voto, quod vocant, decisio, ipsi pro more competente, severiorem firmaret sententiam. Intercedebat iam vnu ex iis, qui mitius sentiebant, citato §. 976. libelli mei, vbi de *calculo Mineruae* sermo est, et continuo humanior praeualuit senten-tia. Profecto non refero hoc iactantiae causâ, quippe qui optime sciam, quam curta nihil supplex sit, sed ut profitear, me, quidquid eius rei est, ex CICERO petuisse, qui in *Or. pro Milone cap. 3.* ita scribit: *Itaque hoc non sine causa etiam fidis fabulis doctissimi homi-nes memoriae prodiderunt, eum, qui patris vicitcendi causa matrem ne-cauisset, variatis hominum sententiis, non solum diuina, sed etiam sa-pientissimae deae sententia liberatum;* vbi dea *sepientissimae* appellatione intelligitur *Minerua*, que apud EVRIPIDEM in *Iphigenia Taurica* v. 1409. de se ipsa dicit:

ἐκσωτεραί τε  
ναι πεν γ' Ἀγέλος ἐν πάγοις ψῆφους ἵρας  
κείνωτ, Ορέστα.

— — — — —  
Seruati te  
Et ante in Areopago, paria suffragia  
Iungens, o Oresta.

Eo iam peruenimus, vt, quantam scripta Tulliana utilitatem in legislatione etiam praefestate possint, exemplis ostendendum eslet. Sed spacci angustia non nisi vnum et alterum in praefenti adferre permittit. Inter praecpta, de modo poenarum quae proposuit BECCARIA, §. 19. hoc etiam legitur: *Remedium apprime utile ad firmandum illud tam necessarium inter cogitationem criminis et poena vñculum erit, si poena, quantum eius fieri poterit, conueniat naturae atque indoli delicti, ut scilicet mentem vertat in partem a priore illa, in qua reuanta sibi placebat, diuersam; unde quidem maximus inter peccandi libi-dinem illique contrariam poenae vim conficiens emerget.* Vnde autem id hausit? Profecto haud alio ex fonte, quam ex c. c. de Leg. Lib. III. c. 20. *Noxiae poena par esto, ut in suo vicio quisque plectatur: vis capite, auaritia multa, honoris cupiditas ignominia faniatur.*<sup>b)</sup>

Insi-

- b) De reis suo in vicio plectendis dixi *Adversari. Lib. 1. c. 2.* Conf. etiam ANDR. ZAVPSEN von dem Ebenmaas der Strafen mit den Verbrechen, in eiusd. Gedanken über einige Punkte d. K. R. no. 2.

Insignis fuit multorum, certe antiquiorum legislatorum error, ad praeaccenda crimina nihil magis valere, quam poenas seueras atque atroces, quarum scilicet metu facinorosi a perpetrandis delictis maxime deterreantur. Hinc horrendi illi cruciatus corporumque laniatus, qui olim tam frequentes fuerunt, ut VOLTAIRVS haud male dixerit, orbem terrarum quondam magnum aliquod suppliciorum fuisse theatrum (un vase de hasaud convertit de bourreaux et de violimes, entouré de juges, des bires et des spectateurs). Nae autem magnopere falluntur, qui in crimine caulis solo poenarum metu omnia effici posse arbitraantur. Meliora certe a CICERO disceire poterant, quippe qui in Phil. II. cap. 36. sapienter monet, timorem non esse diuturnum officii magistrorum, i) cui respondet illud HORATII Ep. I. 16.

*Oderunt peccare boni virtutis amore.*

*Tu nihil admittes in te formidine poenae,*

*Sit spes fallendi, misericordia profanis.*

Quare rectius illi, qui incitamenta potius irritamentaque malorum e medio tollere, hominesque institutione magis atque exemplo, quam cruciatibus corporumque lacerationibus meliores reddere inserviant. k) Sapienter eniā SALVIANVS de Gub. Dei Lib. 6. *Nemo malus, nisi stupratur. Si enim saperet, bonus esse mallet.* Ceterum nemo sibi persuadeat, omnia his in rebus iam esse exhausta, nihilque apud TULLIVM, quod vertere in vnum nostrum possimus, superesse. Profecto multum adhuc restat operis, nondemque ita omnia praeripuerunt maiores nostri, ut nihil omnino nobis reliquerint. Flura, quae hoc faciunt, exempla dedi cum in Opifici. iur. crim. passim, tum nupero in proge. *Striatura in intytum Buccarice de delictis et poenis libellum inscripto.*

Sed

i) Vid. CEL. E. G. WIELAND. *Geist der peinlichen Gesetze*, P. I. p. 416.

k) Vid. *Versuch über die gesetzgebende Klugheit, Verbrechen ohne Strafen zu verbüten*, Frankf. 1778 nec non I. F. ROENNERG *Prol. de mensibus ad expurganda criminis idoneis*, Regensburg. 1782.



Sed indicenda nunc sunt sollemnia inauguralia

CANDIDATI DOCTISSIMI

IOANNIS OTTONIS LUTTERLOH  
HAMBVRGENSIS

qui sua de vita, laudabiliter adhuc acta, ipse his verbis exp̄suit:

*Natus sum Hamburgi a. d. X. Febr. A. C. MDCCCLXV. patre Joanne Gitone I. V. D. et ad Cathedralem, quae ibi est, ecclesiam Canonico, matre Anna Catharina e gente Rumpfia. Quantam diligentiam et curam optimi parentes inde a prima aetate mea in eo posuerint, ut animum ad virtutem et pietatem, mores ad humanitatem, ingenium ad bonas litteras et artes formarent, eloqui vix possum. Tradiderunt me instituendum optimis praceptoribus, tam publicis, quam priuatis. Etenim iadis primis litterarum fundamentis in schola Rungii, viri, quem, quoad viuam, et amabo et venerabor, recepit me Iohanneum, eius rectori I. M. Mullero, nunc inter coelites degenti, nec minus Lichtensteinio, qui illi succedit, plurimum me debere, pia grataque mente profitor. Post in gymnasium, quod Hamburgi floret, translatus praeclarissimorum virorum, qui in eo litteras profidentur, disciplinae me totum tradidi. Büschius in matheſi, tam pura, quam applicata, nec non in historia politicorum motuum, qui recentioribus seculis Europam agitarunt, Noëtingius in philosophia et arte latine scribendi, b. Schuezzius, eiusque successor Ebelingius in historia et gracis litteris, Giekius in historia naturali et physica me instituerunt. Iam decursu hoc per tres annos integrus spatio Lipsiam, quam bonarum litterarum sedem fauissimo omne me elegisse laetor, studiorum persequendorum causa me contuli, ibique Ao. MDCCCLXXXV. mense Aprilis a b. Schworzio, tum Rectore Magnifico, ciuiibus academicis adscriptus sum. Quam autem iurisprudentiae potissimum me destinasset, iam per quatuor annos et supra totus in eo fui, ut uniuersum huius disciplinae ambitum, quantum eius a me fieri posset, emetiver, neque tamen eas litteras, quae ad humanitatem pertinent, negligere. Subuenit mea cupiditati Illustrium Virorum, quorum nominibus floret Lipsia, institutio, neque eorum, quae ab illis in me profecta sunt, memoriam villa unquam*

vinquam debet obliuio. Iungens enim (qui deinde Serenissimus  
Elector Saxonie consiliis aulae et iustitiae aemouit) ius ciuale eiusque  
historiam me docuit. Eadem, et praeterea regularis iuris antiqui, her-  
meneuticam iuris romani, eiusdem historiam litterariam, nec non ius  
naturae, ius publicum, tam uniuersale, quam Imperio Germanico pro-  
prium, ius germanicum priuatum, denique ius feudale exponentis Sam-  
meti, senis venerabilis, assidius auditor fui. Easdem iuris naturalis  
et publici doctrinas exponentem Wielandium audiui. Schottum in iure  
canonicō, criminali, ordine iudicario discendo praeceptorem habui.  
Idem in elaborandis scriptis forensibus, V. S. R. de Winckler autem  
in arte referendi ex actis iudicitalibus et decernendi me instituit. Inme-  
dicina forensi auctorem secutus sum b. Bosum. Varias vero philoso-  
phiae partes docuerunt me Platnerus, Vir Magnificus, Caesar et Wie-  
landius. Historiam et quidem uniuersalem Beckius, Imperii Germa-  
nici vero et caeterarum in Europa rerumpublicarum, atque flatum po-  
liticum Wielandius mihi tradidit. Latine scribendi et disputandi peri-  
cula feci ducibus Richtero et Beckio, viris doctissimis. Nec praeter-  
mittere fas est laudes Fijcheri, Prosectoris in Theatro Anatomico praec-  
clarissimi, cui oeconomiciam corporis humani explicanti adfui. Denique  
publice praedicanda mihi est Schotti et Wielandii singularis in me beni-  
volentia atque humanitas, quorum inservitissimis bibliothecis mihi uti  
licuit. Quum vero huic academie valedicturus documentum aliquod  
diligentiae et studii, quo litteras persequutus essem, extare vellem,  
Illustrem uidii Iurisconsultorum Ordinem, ab eoque, ut me, superatis  
conuentis examinibus, summis in utroque iure honoribus condecoraret,  
petii.

Huic desiderio, postquam utroque in examine Collegii expe-  
ctioni omni ex parte satisfecit, cum deesse haud potuerimus, ut  
publice quoque de eius profectibus constet, proximo die Mercurii  
in auditorio Iectorum hora a meridie II. l. vn. C. de caduc. tollend.  
exponet, mox autem Calendis Octobr. hora IX. eodem loco  
diff. de recursus a supremis Imp. Rom. Germ. Tribunalibus ad Co-  
mitia genuino fundamento, sine praeside publice defendet, quo  
facto vir illustris atque excellentiss. D. CHRISTIAN. RAV, Supre-  
mae Curiae Prouincialis et Ordinis nostri Assessor, Tit. de V. S. et  
R. I. Prof. Publ. Ord. fautor et collega honoratissimus, cui ex eius-  
dem Ordinis decreto promotoris munus delegauit, summos in iure  
petii.

honores cum omnibus privilegiis atque iuribus huic dignitati adnexis, sola spe ad fessionem in Collegio nostro adspirandi excepta, ipsi tribuet atque concedet.

Quam sollemnitatem vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIP. PROCERES GRAVISSIMI, CIVES denique GENEROSISSIMI NOBILISSIMI QVE praesentia sua honorifica splendidiorem reddere velint, maximopere rogamus. Sc. Lipsiae a. d. XXVI. Septembris. MDCCLXXXIX.



Leipzig, Diss., 1789 P-Z

X 241 7829

ULB Halle  
006 383 351

3







1789 20.  
3

# PROCANCELLARIUS IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNVS.

I. V. D

CATHEDRALIS ECCLESIAE NVMBYRGENSIS CA-  
NONICVS PANDECT. PROF. ORD. ET  
COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

## SOLLEMNIA INAVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

IOANNIS OTTONIS LUTTERLOH  
HAMBVRGENSIS

CALENDIS OCTOBR. MDCCCLXXXIX

PUBLICE CELEBRANDA

INDICIT